

tituli litteratura docet, vix fuit oriundus ex Lavinio. Novi hi Laurentes Lavinates sine dubio certis vicibus Lavinium adire debebant et honoribus sacerdotiisque ibi fungi. Ita is quem dixi Sp. Turranius et *praefectus pro praetore* (*iure*) *dicundo* fuerat in urbe Lavinio et pater patratus populi Laurentis, idemque *sacrorum principiorum* (*populi*) *R(omani) Quirit(ium)* nominisque Latini, quae apud Laurentis coluntur, *flam(en) Dialis*, *flam(en) Martialis*, *salius praesul*, *augur*, *pontif(ex)*. Praeterea memorantur magistratus in exteris illis Laurentium Lavinatum inscriptionibus *praetor Laurentium Lavinatum* supra n. 171. 172, *praetor* et *quinq(uennalis) Laurentium Lavinatum* Marini Arv. p. 825, item *decurio* supra n. 335; sacerdotes pontifices (*pontifex Laurentium Lavinatum* supra n. 171, item ut videtur n. 354, item vol. VI n. 1531, *pontif(icatu) Laurentinorum orn(atus)* Orelli n. 2156, *sacerdos et pontifex Laurentium Lavinatum* huius corporis vol. VIII n. 9368, *L. L. pontif(ex) eiusd(em) sacerdotii* vol. VI n. 1635), flamines (*flamen Laurentinus* vol. III n. 1198, *flamen Lucularis Laurentium Lavinatum* Henzen n. 6747), salii (supra n. 390. 391), alii minus certi (vol. V n. 3413); ceterum omnes Laurentes Lavinates, cum vere efficerent collegium sacerdotale, quodammodo dici potuerunt *sacerdotes Laurentes Lavinates* (*sacerd. Laur. Lavin.* vol. V n. 6357, *Laurens Lavinus sacer.* vol. IX n. 4686, *sacerdos Laurentium Lavinatum* supra n. 154 et vol. VIII n. 1439. 7978, *ἱερεὺς Λαυρεντῖνος* *bullet. de correspond. hellénique* 7, 1883 p. 275; cf. *Laurent(ino) sacerdotio ornatus* Orelli 2712, *L(aurens) L(avinas) pontif(ex) eiusd(em) sacerdotii* vol. VI n. 1635, *sacerdos et pontifex Laurentium Lavinatum* vol. VIII, 9368). — *Arcarius Laurentium Lavinatum* est vol. VI n. 2197. *Cur(atori) reipubl(icae) Laur(entium) Lavinat(ium)* in urbe Roma dedicati sunt tituli vol. VI n. 1531. 1532 uterque, ut videtur, a pontifice Laurentium Lavinatum. Titulum *patrono et dese(n)sori* eidemque (*h*)*abitatori civitatis, v(iro) p(erfectissimo)*, positum a Laurentibus Lavinatibus reperies infra n. 2080; *Caecilianum aliquem, defensorem Laurentium Lavinatum, virum honestum* commendavit Symmachus ep. 1, 74 (65). Haec epistula Symmachi, qua Laurentes Lavinates appellantur *religiosa civitas*, et constitutio

codicis Theodosiani supra relata, postrema sunt de Laurentibus Lavinatibus antiqua testimonia. Mox non solum collegium Laurentium Lavinatum videtur desiisse, sed etiam oppidum Lavinium periit vel certe coepit latere, ut latuit per multa saecula, ac ne locum quidem, ubi fuerit, quisquam novit, donec renatis litteris prima inscriptionum Lavinii effossarum exempla ad viros doctos Romae degentes adlata sunt. Sed neque hoc factum est ante medium XVI p. C. saeculum; neque tunc eares videtur innotuisse nisi paucis. Reperiuntur quidem inscriptiones Lavinates apud Ligorium (ms. Taur.¹⁾) n. 2070. 2075—2077, apud Panvinium (collect. Vatic. a. 1566/8) n. 2070. 2075 ab incerto auctore descriptae; sed edita est ex his sola n. 2070 apud Gruterum, et ea sub falsa loci indicatione²⁾. Primus inter viros artis epigraphicae peritos Praticam adiit Fabrettius et ibi n. 2069. 2070. 2074—2076. 2082. 2083 descripsit, eadem fere vidit anno 1732, item n. 2068. 2077—2079 addidit Vulpus. Deinde post longum intervallum — nam Nibbyus nihil novi addidit — nostra aetate fossionibus nescio quo consilio institutis prodierunt Lavinii n. 2065—2067. 2081. 2084. Ruderà Lavinii paene intacta si quis vir et locorum et Romanae antiquitatis peritus curaverit pervestiganda, non defore monumenta, unde inter alia obscura illustrentur Romanorum de ipsorum originibus fabulae et opiniones, paene certum est.

1) Nondum innotuisse Ligorio has inscriptiones cum conscriberet volumina illa quae nunc servantur Neapoli, id est annis circiter 1550—1553, colligitur inde quod illic (lib. 39 p. 189) Lavinium collocavit Civita-Laviniae (*La origine di Lavinio non si può per cosa certa mostrare ... Questa citta Servio chiama di quattro nomi, Lavinum, Lavinium, Laurentum, Laurolavinium, et hoggidi si chiama Civita Lavinia*, cf. *Sitzungsber. d. berl. Akad.* 1883 p. 1104), atque adeo inscriptionem Lanuinam infra n. 2100 huius opinionis causa interpolavit. Postea verum edoctus ea quae rettuli verba ex parte induxit eisque substituit haec: *Lavinio hodiernamente si chiama Patria, ò vero Patrica, poco discosto dal mare, nel lito paterno [= lido di Tor Paterno?]*.

2) Ita factum est, ut tam Cluverius p. 894 quam Holstenius (annot. ad Cluverium p. 175) de loco ubi fuit Lavinium erraverint.

2065 tabula marmorea effossa Praticae a. 1867 BORM. Non ita pridem Praticae inventa pars lapidis dimidia olim supra portam sacrarii principiorum populi Romani muro infixi² GARR. Ubi nunc extet, nescio.

NVMICE LAVINAS
 RECTA PILVMNI
 ponXIFEX SACRIS VOTVM
 eLARA SANGVIS AENEAe
 mAXIMVS PETITORVM 5
 pROSPERETIS EVENTVS
 IVRA LAVRENTVM

Descripsit Bormann a. 1869 et edidit in programmate gymnasii Berolinensis *zum grauen Kloster* 1871 p. 17; ipse recognovi ad ectypum a Bormanno reportatum. Auctore non laudato edidit Garrucci syll. p. 334 ad n. 1142.

Versus sunt choliambi. — Pontifex deos Lavinii cultos (v. 1. 2. 4) precatus vota facere videtur pro salute imperatoris (nam ad imperatorem videtur pertinere v. 6) et pro conservatione privilegiorum Laurentium Lavinatum (v. 7). Quo spectet v. 5, nescio. — 1 tam *Numicus* quam *Numicius* invenitur apud auctores. — 2 RECTA potius, ut edidit Bormann et suggerit ectypum, quam REGIA, quod edidit Garrucci. — Pilumnus memoratur a Vergilio Aen. 9, 4. 10, 76. 619 ut Turni avus vel proavus; alia de eodem ex Varrone et Pisone adfert Servius ad Aen. 10, 76.

2067 Praticae rep. anno 1866 *nelle escavazioni fatte dal cav. de Gama ACTA*, effossa a. 1867 iussu principis Borghesii BORM. Iacet extra Praticam (CCC passibus p. m. a burgo mare versus) humi defossa. Basis est marmorea, latus intuenti sinistrum habet urceum, dextrum latus terrae obversum est.

LAVINIA LATINI
 urceus FILIA

Descripsit Bormann a. 1869 et edidit in programmate gymnasii Berolinensis *zum grauen Kloster* 1871 p. 16; ipse vidi anno 1880, sed ex parte terra tectam. Legitur in actis ms. curatoris monumentorum qui fuit sub pontificibus (inde edidit Brizio *pitture e sepolcri scoperte sull' Esquilino*, Romae 1876 p. 10). Wilmanns exempl. inscr. Lat. n. 617.

Litteratura titulorum n. 2065—2068 non est aevi Augustei, potest esse aevi Hadrianei. Saeculo tertio n. 2065. 2067/8 adtribuit Bormann, non recte ut puto.

2066 Praticae apud Borghesios, reperta in effossionibus factis a. 1867 iussu principis BORM. Ego Praticae frustra quaesivi.

sacerDOTE ·
 INAE ·
 pPISCI ·
 iXLO · 5

Descripsit Bormann a. 1869; ipse recognovi ad ectypum.

Hoc quoque fragmentum superest ex carmine choliambico.

2068 basis marmorea. Praticae.

SILVIUS AENEAS
 urceus AENAE ET LAVI patera
 NIAE FILIVS

Descripserunt Detlefsen et Bormann, qui edidit in programmate gymnasii Berolinensis *zum grauen Kloster* 1871 p. 16, recognovi ipse. Antea descripserunt Vulpi Lat. 6 p. 119 et Nibby *analisi* 2 p. 237. C. I. L. I p. 283, XXI.